



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Tactus & similia inter solutos. Remissivè, num. 63.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

nec prædicta quidem pudica amoris signa sunt & licita. Ratio est manifesta, quia hæc conceduntur sponsis; sed hi antequam impleatur conditio, non sunt sponsi, sed erunt, ergo &c.

i *Th. Sanc. lib. 5. matr. d. 5. à num. 38. pag. l. c. n. 6. cit. eundem Sanc. Solum, & Gurr. aliosque plures, nullo contradicente, apud Dian. p. 4. tract. 4. ref. 131.*

An sponsis liceat delectatio in cogitationibus morosis, decernendum spondeo, lib. 10. c. 4. ubi etiam, an viduis &c.

Tactus & his similia inter solutos.

63. De ijs inferius agetur commo-
dius separatim, c. 8. §. 2.

CAPVT QVARTVM.

§. I.

De incestu.

1. **I**N methodo *a* sic habes. Non est dubium, incestum esse speciem luxuriæ, explicandam in confessione, qua cum consanguineis, vel affinis, contra castitatem, sive per copulam, sive etiam per oscula, tactusque impudicos &c. peccatur: nam propterea ita communiter definitur. *Est peccatum luxuriæ, quod committitur cum persona conjuncta.*

a In Meth. exp. Conf. lib. 2. c. 7. §. 7.

Sed quæstio, an incestus cum consanguineis differat ab incestu cum affinis? & rursus, an incestus cum alterutris ex prædictis in uno gradu ut-

que ad quartum (nam in alijs à quarto est simplex fornicatio) differat specie ab incestu in alio? v. g. peccata cum matre, cum filia, cum sorore, cum nepte, cum consobrina, sive consanguineis, sive affinis, differuntne inter se specie, ita ut in confessione talis gradus sit ex necessitate declarandus? An vero si quis cum aliqua ex dictis peccavit, etiam si fuisset mater, satis se explicet, dicendo, incestum commisi? Quid de peccante cum conjunctis spiritualiter, id est, ex Baptismo, vel confirmatione, & de conjunctis legaliter, id est ex adoptione?

Tribus dictis hæc, quæ satis confusa propter opinionum varietatem, apud Authores sunt, breviter distincteque ex meo instituto, expedientur.

2. Dico primo, probabile esse, nec consanguinitatem *b* ab affinitate, nec unum gradum *c* ex his differre specie ab alijs: unde licet sine dubio gravius sit, contra unum gradum delinquere, v. g. contra primum cum matre, quam contra alium, v. g. cum consobrina; tamen quia non mutatur species, puto, non esse ea speciatim ex necessitate patefacienda. Ratio est, quia in omnibus his una specie deformitas est (licet modo levior, modo gravior) nempe contra reverentiam debitam conjunctis. Quod autem id oriatur interdum ex ipsa natura, ut in primo consanguinitatis gradu, & per alios, etiam in secundo, interdum vero ex præcepto Ecclesiæ, ut in cæteris, & maxime in gradibus affinitatis, nihil specie diversum ex hoc necessario inferatur: nam præceptum superioris, cum aliquid præcipit, ponit materiam præceptam